

# MISSAE PROPRIAE DIOECESIOS MISNENSIS

## FESTA DECEMBRIS.

Die 13 Decembris.

Commemoratio S. Otiliæ Virg.

Oratio. P

**D**eus, illuminator omnium gentium, qui mira opera virtutis tuæ in beata Otilia Virgine tua mirabiliter demonstrasti: quæsumus immensam clementiam tuam; ut, sicut ab illa nativæ cæcitatibus tenebras effugasti, ita nobis corporalis luminis gratiam, et æternæ claritatis gloriam largiaris. Per Dominum nostrum.

Secreta. P

**M**ûnera tibi, Dômine, servitutis nostræ offerimus in beate Otiliæ Virginis tuæ sollemnitate deprecantes: ut, qui ei dedisti gratiam Sancti Spiritus, eandem etiam cordibus nostris clementer infundas. Per Dominum nostrum.

Postcommunio. P

**A**djuvent nos, quæsumus Dômine, et hæc mysteria sancta, quæ sumpsimus; et intercedente beata Otilia Virgine tua a cunctis nos erroribus exuant, et ad gaudia æterna perducant. Per Dominum nostrum.

Pro Missa votiva de S. Otilia dicitur Missa Vultum tuum de Communi Virg. cum Or. ut supra.

## FESTA JANUARIII.

Die 20 Januarii.

Ss. Fabiani Papæ  
et Sebastiani Martyrum.

Duplex majus.

Missa Intret ut in Missali Romano.

## FESTA MARTII.

Die 15 Martii.

S. Clementis Mariæ Hofbauer Conf.

Duplex.

Introitus. Ps. 91, 13-14.

**J**ustus ut palma florébit: sicut cedrus Libani multiplicabitur: plantatus in domo Dômini: in atriiis domus Dei nostri. Ps. *ibid.*, 2. Bonum est confiteri Dômino: et psallere nômîni tuo, Altissime. V. Glória Patri.

Oratio.

**D**eus, qui beatum Cleméntem Mariam miro fidei róbore et invictæ constantiæ virtute decorasti: ejus méritis et exéplis fac nos, quæsumus, ita fortes in fide et caritate ferventes; ut præmia consequamur æterna. Per Dominum.

In Quadrag. fit Commemoratio Feriæ.

Lectio Epistolæ beati  
Pauli Apóstoli ad Corínthios.

1 Cor. 4, 9-14.

**F**ratres: Spectáculum facti sumus mundo et Angelis et homínibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudéntes in Christo: nos infirmi, vos autem fortes: vos nóbiles, nos autem ignóbiles. Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et cólaphis cædimur, et instábiles sumus, et laborámus operántes má nibus nostris: maledícimur, et benedícimus: persecutió nem pátimur, et sustinémus: blasphemámur, et obsecrámus: tamquam purgaménta huius mundi facti sumus, ómnium peripréséma usque adhuc. Non ut confúndam vos, hæc scribo, sed ut filios meos caríssimos móneo: in Christo Jesu, Dómino nostro.

**Graduale Ps. 36, 30-31.** Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur iudícium. **V.** Lex Dei ejus in corde ipsíus: et non supplantábuntur gressus ejus.

**Tractus Ps. III, 1-3.** Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. **V.** Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. **V.** Glória et divítiae in domo ejus: et justítia ejus manet in sáculum sáculi.

In Missis votivis cæteris anni temporibus dicitur Alleluja cum Versu e Missa Justus ut palma de Comuni Conf. non Pont. 2 loco.

**✠** Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. 12, 32-34.

**I**n illo témpore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolíte timére, pusillus

greg, quia complácuít Patri vestro dare vobis regnum. Véndite quæ possidéti, et date eleemósynam. Fécite vobis sácculos, qui non veterásunt, thesaúrum non dificiéntem in cælis: quo fur non apprópiat, neque tinea corrúmpit. Ubi enim thesaúrus vester est, ibi et cor vestrum erit.

**Offertorium Ps. 20, 2-3.** In virtúte tua, Dómine, lætábitur justus, et super salutáre tuum exultábit veheménter: desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.

**Secreta.**

**I**lle nos, quæsumus Dómine, devoti ónis ignis accéndat; quo beátus Clemens Maria, dum salutárem offerret hóstiám, júgiter flagrávit. Per Dóminum.

**Communio Matth. 19, 28 et 29.** Amen, dico vobis: quod vos, qui reliquistis ómnia et secúti estis me, centuplum accipiétis, et vitam ætérnam possidébitis.

**Postcommunio.**

**C**ælésti pane refécis concéde nobis, omnipotens Deus: ut beátí Cleméntis exémplo in fortitú dine cibi illíus usque ad montem, qui Christus est, feliciter perveniámus. Qui tecum vivit et regnat.

Tempore Quadrag. dicitur Ultimum Evangelium de Feria.

## FESTA APRILIS.

Die 21 Aprilis  
S. Conradi de Parzham Conf.

Duplex.

Introitus. Ps. 36, 30-31.

**O**s justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur iudí-

cium: lex Dei ejus in corde ipsius. Allelúja, allelúja. *Ps. ibid., 1.* Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

℣. Gloria Patri.

*Oratio.*

**D**eus, qui misericórdiæ tuæ jánuam fidélibus patére voluísti: te súpplices exorámus; ut, intercedénte beáto Conrádo Confessóre tuo, temporália subsidia nobis tríbuas et æténa. Per Dóminum.

*Commemoratio S. Anselmi  
Ep. et Doct.:*

*Oratio.*

**D**eus, qui pópulo tuo æténae salutis beátum Anselmum místrum tribuísti: præsta, quæsumus; ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per Dóminum nostrum.

*Lectio libri Sapiéntiæ.*

*Eccli. 31, 8-11.*

**B**eátus vir, qui invéntus est sine mácula, et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesaúris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. Qui probátus est in illo; et perféctus est, erit illi glória æténa: qui pótuit tránsgrédi, et non est tránsgréssus: fácere mala, et non fecit: ídeo stabilita sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis ecclésia sanctórum.

*Tempore Paschali:*

Allelúja, allelúja. ℣. *Jac. 1, 12.*  
**A** Beátus vir, qui suffert tenta-

tióne: quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja. ℣. *Eccli. 45, 9.* Amávit eum Dóminus et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum. Allelúja.

*In Missis votivis extra Tempus Paschale dicitur Graduale et post Septuagesimam Tractus e Missa Os justi de Communi Conf. non Pont. 1 loco.*

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

*Luc. 12, 35-40.*

**I**n illo témpore: Dixit Jesus discipulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis: ut, cum vénerit et pulsáverit, conféstim apériant ei. Beáti servi illi, quos, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántes: amen, dico vobis, quod præcínget se, et fáciet illos discúmbere, et tránsiens ministrábit illis. Et si vénerit in secúnda vigília, et si in tértia vigília vénerit, et ita invénerit, beáti sunt servi illi. Hoc autem scitóte, quóniam, si sciret pater famílias, qua hora fur veníret, vigiláret útique, et non síneret pérfodi domum suam. Et vos estóte paráti, quia, qua hora non putátis, Fílius hóminis véniet.

*Credo ratione Commemorationis S. Doctoris.*

*Offertorium Ps. 88, 25.* Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus. Allelúja.

*Secreta.*

**O**blatiónes nostras tibi, Dómine, quæsumus, beáti Conrádi inter-

céssio veneránda comméndet: queni coram tuis altáribus precántem supernórum charísmatum dulcédine recreásti. Per Dóminum.

**Pro S. Anselmo. Secreta.**

**S**ancti Anselmi Pontíficis tui atque Doctóris nobis, Dómine, pia non desit orátio: quæ et múnera nostra concíliet; et tuam nobis indulgéntiam semper obtíneat. Per Dóminum.

**Communio Matth. 24, 46-47.** Beátus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem: amen, dico vobis, super ómnia bona sua constitúet eum. Allelúja.

**Postcommunio.**

**S**úmpsimus, Dómine, tua sancta, beáti Conrádi mérita recoléntes: præsta, quæsumus; ut ejus semper et præcláro proficiámus exémplo et fidéli muniámur auxílio. Per Dóminum.

**Pro S. Anselmo. Postcommunio.**

**U**t nobis, Dómine, tua sacrificia dent salútem: beátus Anselmus Póntifex tuus et Doctor egrégius, quæsumus, precátor accédát. Per Dóminum.

Die 23 Aprilis.

**Commemoratio S. Adalberti  
Episc. et Mart.**

**Oratio.**

**T**uam nobis indulgéntiam, quæsumus Dómine, beátus Adalbértus Episcopus et Martyr implóret: ut et

delícta nobis cleméner ignóscas; et beneficia desideráta concédas. Per Dóminum.

**Secreta.**

**S**acrificium exhibítum, quæsumus Dómine, benígnus assúme: ut, quod nómini tuo in sollemnitate beáti Adalbérti Mártiris tui atque Pontíficis deférimus, nobis prosit ad véniam. Per Dóminum.

**Postcommunio.**

**R**efécti, Dómine, munéribus sacris súpplices te deprecámur: ut indulgéntiam tuám nobis intercéssio beáti Adalbérti Mártiris tui atque Pontíficis semper implóret. Per Dóminum.

Die 27 Aprilis.

S. Petri Canisii

**Confessoris et Ecclesiæ Doctoris.**

**Duplex 2 classis.**

*Omnia ut in Missali Romano.*

**FESTA MAJI.**

Die 4 Maji.

**Commemoratio S. Gothardi  
Episc. et Conf.**

**Oratio.**

**E**xáudi, quæsumus Dómine, preces nostras, quas in beáti Gothárdi Confessóris tui atque Pontíficis sollemnitate deférimus: et qui tibi digne méruit famulári; ejus intercedéntibus méritis ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

**Secreta.**

**D**a nobis, quæsumus, Dómine, tuæ pietátis efféctum: et intercedente beáto Gothárho Confessóre tuo atque Pontífice, múnera nostra propítius intuére. Per Dóminum.

**Postcommunio.**

**Q**uos donis cælestibus satiásti: sancti Gothárdi Confessóris tui atque Pontíficis, Dómine, defénde præsídiis; ut nóxiis ómnibus expediti post salutária tua toto corde currámus. Per Dóminum.

Die 6 Maji.

S. Joannis **Ap. et Ev.** ante Portam Latinam

Patroni æque principalis dioceseos

Duplex 1 classis  
cum Octava communi.

Omnia ut in Missali Romano.  
Infra Octavam fit Commemoratio Octavae e Missa Festi.

Die 11 Maji.

S. Walburgæ **Virg.**

Duplex.

Introitus. Ps. 44, 8.

**D**ilexisti justítiam, et odisti iniquitátem: proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis. (T. P. Allelúja, allelúja.) Ps. **ibid.**, 2. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. **V.** Glória Patri.

**Oratio.**

**E**xáudi nos, Deus salutáris noster: **U**t, sicut de beátæ Walbúrgæ Virgínis tuæ festivitáte gaudémus; ita

piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

**Et fit Commemoratio Octavae:****Oratio.**

**D**eus, qui cónspicis, quia nos úndique mala nostra pertúrbant: præsta, quæsumus; ut beáti Jóannis Apóstoli tui et Evangelístæ intercessio gloriósa nos protégat. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

2 Cor. 10, 17-18; 11, 1-2.

**F**ratres: Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim, qui seípsum comméndat, ille probátus est; sed quem Deus comméndat. Utinam sustinerétis módicum quid insipiéntiæ meæ, sed et supportáte me: æmulor enim vos Dei æmulatione. Despóndi enim vos uni viro virgínum castam exhibére Christo.

**Temp. Paschali:** Allelúja, allelúja. **V.** Ps. 44, 15 et 16. Adducéntur Regi Virgínes post eam: próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia. Allelúja. **V.** **Ibid.**, 5. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, prospere procéde et regna. Allelúja.

In Missis votivis extra Tempus Paschale Graduale resp. Tractus e Communi Virgínum non Martyrum.

**✠** Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 25, 1-13.

**I**n illo témpore: Dixit Jesus discí-pulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cælórum decem virgí-nibus: quæ, accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviám sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ,

et quinque prudentes: sed quinque fatuæ, accéptis lampádibus, non sumpsérunt óleum secum: prudentes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes et dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est: Ecce, sponsus venit, exíte óbviám ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt: Date nobis de óleo vestro: quia lámpades nostræ extinguiúntur. Respondérunt prudentes, dicéntes: Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus: et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est jánuá. Novíssime vero véniunt et réliquæ vírgines, dicéntes: Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait: Amen, dico vobis, nescio vos. Vigiláte itaque, quia nescítis diem neque horam.

Credo *ratione Octavæ.*

*Offertorium Ps. 44, 10.* Fíliæ regum in honóre tuo, ástitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. (T. P. Allelúja.)

*Secreta.*

**A**ccépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxiliúm. Per Dóminum.

*Pro Commemoratione Octavæ:*

*Secreta.*

**M**unéribus nostris, quæsumus, Dómine, precibúsq; suscep-

tis: et cæléstibus nos munda mystériis, et cleménter exaúdi. Per Dóminum.

*Præfatio de Apostolis.*

*Communio Matth. 25, 4 et 6.* Quinque prudentes vírgines accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus: média autem nocte clamor factus est: Ecce, sponsus venit: exíte óbviám Christo Dómino. (T. P. Allelúja.)

*Postcommunio.* C

**S**atiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quæsumus, semper interventióne nos réfove, cujus sollémnia celebrámus. Per Dóminum.

*Pro Commemoratione Octavæ:*

*Postcommunio.*

**R**efécti, Dómine, pane cælésti: ad vitam, quæsumus, nutriámur ætérnam. Per Dóminum.

Die 13 Maji.

Octava S. Joannis ante Portam Latinam.

*Duplex majus.*

*Missa ut in Festo cum Commemoratione S. Roberti Bellarmino Ep., Conf. et Eccl. Doct. e Missali.*

Die 16 Maji.

S. Joannis Nepomuceni *Mart.*

*Duplex majus.*

*Missa Dedit mihi Dominus e Missali Romano inter Missas pro aliquibus locis III.*

*Et fit Commemoratio S. Ubaldi Ep. et Conf. e Missali.*

**FESTA JUNII.**

Die 5 Junii.

S. Bonifatii Ep. et Mart.

Duplex 2 classis.

Omnia ut in Missali Romano.

Die 16 Junii.

S. Bennonis Ep. et Conf.

Patroni principalis diœceseos.

Duplex 1 cl. cum Octava communi.

Introitus. Eccli. 45, 30.

**S**tátuit ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdotii dígnitas in ætérnum. Ps. 131, 1. Meménto Dómine David: et omnis mansuetúdinis ejus. **V.** Glória Patri.

**Oratio.**

**D**eus, qui nos beáti Bennónis Pontíficis confessióne gloriósa circúmdas et prótegis: da nobis et ejus imitatióne profícere, et intercessióne gaudére. Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 44, 16-27; 45, 3-20.

**E**cce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuít Deo, et invéntus est justus: et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio. Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi. Ideo jurejurándo fecit illum Dóminus créscere in plebem suam. Benedicciónem ómnium géntium dedit illi, et testaméntum suum confirmávit super caputejus. Agnóvit

eum in benedicció nibus suis: conservávit illi misericórdiam suam: et invénit grátiam coram óculis Dómini. Magnificávit eum in conspéctu regum: et dedit illi corónam glóriæ. Státuit illi testaméntum ætérnum, et dedit illi sacerdotium magnum, et beatificávit illum in glória. Fungi sacerdotio et habére laudem in nómine ipsíus, et offérre illi incensum dignum in odórem suavítatis.

**Graduale. Eccli. 44, 16.** Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuít Deo. **V.** Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi. Allelúja, allelúja. **V. Ps. 109, 4.** Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum ór dinem Melchisedech. Allelúja.

*In Missis votivis post Septuages. dicitur Tractus, et Tempore Paschali loco Gradualis Alleluja e Communi Conf. Pont.*

**✠** Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 24, 42-47.

**I**n illo témpore: Dixit Jesus discípu lis suis: Vigiláte, quia nescítis, qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Illud autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias, qua hora fur ventúrus esset, vigiláret útique, et non síneret pérfodi domum suam. Ideo et vos estóte paráti: quia, qua nescítis hora, Fílius hóminis ventúrus est. Quis, putas, est fidélis servus, et prudens, quem constitúit dóminus suus super famíliam suam, ut det illis cibum in témpore? Beátus ille servus, quem, cum vénerit dóminus ejus, invénerit sic faciéntem. Amen dico vobis, quóniam super ómnia bona sua constitúit eum.

Credo.

**Offertorium, Ps. 88, 21-22.** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

**Secreta.**

**S**anctus tuus, quæsumus, Dómine, Benno Conféssor et Póntifex nos ubique lætíficet: ut, dum ejus recólimus mérita gloriósa, apud te semper patrocínia sentiámus. Per Dóminum nostrum.

**Communio. Matth. 24, 46-47.** Beátus servus, quem, cum vénerit Dóminus, invénerit vigilántem, amen dico vobis, super ómnia bona sua constituet eum.

**Postcommunio.**

**Q**uæsumus, Dómine, salutáribus repléti mystériis: ut sancti tui Bennónis Confessóris atque Pontíficis, cujus sollémnia celebrámus, etiam intercessióne adjuvémur. Per Dóminum.

*Infra Octavam dicitur Missa ut in Festo.*

Die 23 Junii.

Octava S. Bennonis **Ep. et Conf.**

**Duplex majus.**

*Missa ut in Festo. Commemoratio Vigiliæ S. Joannis Bapt. e Missali Romano, ultimum Evangelium ejusdem Vigiliæ.*

Die 29 Junii.

**Ss. Petri Titularis Ecclesiæ Cathedralis Budissinensis et Pauli Apost.**

**Duplex í classis cum Octava communi.**

*Omnia ut in Missali Romano.*

## FESTA JULII.

Die 3 Julii.

Commemoratio omnium Sanctorum Romanæ Ecclesiæ Summorum Pontificum.

**Duplex majus.**

*Missa Congregate illi e Missali Romano inter Missas pro aliquibus locis III. Et fit commemoratio S. Leonis II Papæ et Conf. atque Octavæ e Missali.*

Die 4 Julii.

S. Udalrici **Ep. et Conf.**

**Duplex.**

**Introitus. Eccli. 45, 30.**

**S**tátuit ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdotii dignitas in ætérnum. **Ps. 131, 1.** Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis ejus. **V.** Glória Patri.

**Oratio.**

**D**eus, qui cónspicis, quia ex nulla nostra virtúte subsístimus: concede propítius; ut, intercessióne beáti Udalrici Confessóris tui atque Pontíficis, contra ómnia advérsa muniamur. Per Dóminum.

**Et fit Commemoratio Octavæ Ss. Petri et Pauli Apostolorum:**

**Oratio.**

**D**eus, qui hodiérnam diem Apostolorum tuórum Petri et Pauli martýrio consecrásti: da Ecclesiæ tuæ, eórum in ómnibus sequi præceptum; per quos religionis sumpsit exórdium. Per Dóminum.

**Léctio libri Sapiéntiæ.**

**Eccli. 44, 16-27; 45, 3-20.**

**E**cce sacerdos magnus, qui in diebus suis plácuít Deo, et invént-

tus est justus: et in t mpore iracundi  factus est reconciliatio. Non est inventus similis illi, qui conservavit legem Excelsi. Ideo jurejurando fecit illum D minus cr scere in plebem suam. Benedictionem  mniium g ntium dedit illi, et testam ntum suum confirmavit super caput ejus. Agnovit eum in benedictionibus suis: conservavit illi misericordiam suam: et invenit gratiam coram  culis D mini. Magnificavit eum in conspectu regum: et dedit illi coronam gl ri . Statuivit illi testam ntum  ternum, et dedit illi sacerdotium magnum: et beatificavit illum in gl ria. Fungi sacerdotio, et habere laudem in n mine ipsius, et offerre illi incensum dignum in odorem suavitatis.

**Graduale Eccli. 44, 16.** Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo. **V. Ibid., 20.** Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi.

**Allel ja, allel ja. V. Ps. 109, 4.** Tu es sacerdos in  ternum, secundum ordinem Melchisedech. Allel ja.

**✠** Sequentia sancti Evangelii secundum Matth um.

**Matth. 25, 14-23.**

**I**n illo t mpore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo peregre proficiscens vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua. Et uni dedit quinque tal nta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem, et profectus est statim. Abiit autem, qui quinque tal nta acc perat, et operatus est in eis, et lucratus est alia quinque. Similiter

et, qui duo acc perat, lucratus est alia duo. Qui autem unum acc perat, abiens fodit in terram, et abscondit pecuniam d mini sui. Post multum vero t mporis venit d minus servorum illorum, et posuit rationem cum eis. Et accedens qui quinque tal nta acc perat, obtulit alia quinque tal nta, dicens: D mine, quinque tal nta tradidisti mihi, ecce, alia quinque superlucratus sum. Ait d minus ejus: Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium d mini tui. Accessit autem et qui duo tal nta acc perat, et ait: D mine, duo tal nta tradidisti mihi, ecce, alia duo lucratus sum. Ait illi d minus ejus: Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium d mini tui.

**Credo ratione Octav .**

**Offertorium Ps. 88, 21-22.** Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum.

**Secreta.**

**S**ancti tui, qu sumus, D mine, nos ubique l tificent: ut, dum eorum m rita recolumus, patrocinia sentiamus. Per D minum.

**Pro Octava Ss. Apostolorum.**

**Secreta.**

**H**ostias, D mine, quas n mini tuo sacrandas offerimus, apostolica prosequatur oratio: per quam nos expiari tribuas et defendi. Per D minum.

**Pr fatio de Octava.**

**Communio** Luc. 12, 42. Fidélis servus et prudens, quem constituit dominus super familiam suam: ut det illis in tempore tritici mensuram.

**Postcommunio.**

**P**ræsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut, de perceptis muneribus gratias exhibentes, intercedente beato Udalrico Confessore tuo atque Pontifice, beneficia potiõra sumamus. Per Dominum.

**Pro Octava Ss. Apostolorum:**

**Postcommunio.**

**Q**uos cælesti, Domine, alimento satiasti: apostolicis intercessionibus ab omni adversitate custodi. Per Dominum.

Die 9 Julii.

S. Ottonis **Ep. et Conf.**

**Simplex.**

**Introitus** Eccli. 45, 30.

**S**tatuit ei Dominus testamentum pacis, et principem fecit eum: ut sit illi sacerdotii dignitas in æternum.

**Ps. 131, 1.** Memento, Domine, David: et omnis mansuetudinis ejus. **V.** Glõria Patri.

**Oratio.**

**D**eus, cujus virtute beatus Otto Confessor tuus et Pontifex ad solidandum in fide gentes incredulas rapidi fluminis cursum prece restrinxit: concede propitius, ut; qui in terris doctor factus est infidelium populõrum; pro nobis pius intercessor efficiatur ad te in cælis. Per Dominum.

**Lectio libri Sapientiæ.**

**Eccli. 44, 16-27; 45, 3-20.**

**E**cce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, et inventus est justus: et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Non est inventus similis illi, qui conservavit legem Excelsi. Ideo jurejurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam. Benedictionem omnium gentium dedit illi, et testamentum suum confirmavit super caput ejus. Agnovit eum in benedictionibus suis: conservavit illi misericordiam suam: et invenit gratiam coram oculis Domini. Magnificavit eum in conspectu regum: et dedit illi coronam glõriæ. Statuit illi testamentum æternum, et dedit illi sacerdotium magnum, et beatificavit illum in glõria. Fungi sacerdotio et habere laudem in nomine ipsius, et offerre illi incensum dignum in odorem suavitatis.

**Graduale Eccli. 44, 16.** Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo. **V. Ibid., 20.** Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi.

**Allelujã, allelujã. V. Ps. 109, 4.** Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Allelujã.

**✠** Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

**Luc. 19, 22-26.**

**I**n illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, et reverti. Vocatis autem decem servis suis dedit eis decem mnas, et ait ad illos:

Negotiámini, dum vénio. Cives autem ejus óderant eum: et misérunt legatiónem post illum, dicétes: Nólumus hunc regnáre super nos. Et factum est, ut redíret accépto regno: et jussit vocári servos, quibus dedit pecúniám, ut sciret quantum quisque negotiátus esset. Venit autem primus, dicens: Dómine, mna tua decem mnas acquisívit. Et ait illi: Euge, bone serve, quia in módico fuísti fidélis, eris potestátem habens super decem civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu esto super quinque civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, ecce mna tua, quam hábui repositam in sudário: tímui enim te, quia homo austérus es: tollis quod non posuísti, et metis quod non seminásti. Dicit ei: De ore tuo te júdico, serve nequam. Sciébas quod ego homo austérus sum, tollens quod non pósui, et metens quod non seminávi: et quare non dedísti pecúniám meam ad mensam, ut ego véniens cum usúris útique exegíssem illam? Et adstántibus dixit: Auférte ab illo mnam, et date illi, qui decem mnas habet. Et dixerunt ei: Dómine, habet decem mnas. Dico autem vobis, quia omni habénti dábitur, et abundábit: ab eo autem, qui non habet, et quod habet, auferétur ab eo.

**Offertorium** Ps. 88, 21-22. Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

**Secreta.**

**H**ujus oblatiόνis hóstiám, quásumus, Dómine, per mérita sancti

Ottónis Confessóris tui atque Pontíficis sanctifica: ut peccatórum nostrórum máculas, ejus apud te déleant meritórum suffrágia. Per Dóminum.

**Communio** Luc. 12, 42. Fidélis servus et prudens, quem constituit dóminus super familiám suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

**Postcommunio.**

**P**ræsta, quásumus, omnipotens Deus: ut hæc indúlta sacraménti cæléstis commúnio beáto Ottóne Confessóre tuo atque Pontífice intercedénte, nobis proficiat ad prosperitátem et pacem; qui fecit idolólatras tuæ fidei cognóscere veritátem. Per Dóminum.

Die 11 Julii.

S. Briccii Ep. et Conf.

Patroni minus principalis dióceseos.

Duplex majus.

**Introitus.** Ps. 131, 9-10.

**S**acerdótes tui, Dómine, induant justítiam, et sancti tuí exsúltent: propter David servum tuum, non avértas fáciem Christi tui. Ps. *ibid.*, 1. Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis ejus. **V.** Glória Patri.

**Oratio.**

**M**óveat pietátem tuam, quásumus, Dómine, subjéctæ tibi plebis afféctus, et misericórdiam tuam supplicátió fidélis obtíneat: ut, quod méritis non præsumit; per intercessiόνem sancti Briccii Confessóris tui atque Pontíficis indulgéntiæ tuæ largitáte percípiat. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Pii Papæ  
Mart.:

Oratio. C

**G**regem tuum, Pastor ætérne placatus inténde: et, per beátum Pium Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua proteccióne custódi; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. **Hebr. 7, 23-27.**

**F**ratres: Plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberéntur permanére: Jesus autem, eo quod máneat in ætérnum, sempitérnum habet sacerdotium. Unde et salváre in perpétuum potest accedentes per semetípsum ad Deum: semper vivens ad interpellándum pro nobis. Talis enim decébat, ut nobis esset pónitfex, sanctus, innocens, impollútus, segregátus a peccatóribus, et excélsior cælis factus: qui non habet necessitátem cotídie, quemádmódum sacerdotes, prius pro suis delíctis hóstias offerre, deínde pro pópuli: hoc enim fecit semel, seípsum offeréndo, Jesus Christus, Dóminus noster.

**Graduale Ps. 131, 16-17.** Sacerdotes ejus índuam salutári: et sancti ejus exsultatióne exsultábunt. **V.** Illuc prodúcam cornu David: parávi lucérnam Christo meo.

Allelúja, allelúja. **V.** Ps. 109, 4. Jurávit Dóminus, et non pænitébit eum: Tu es sacerdos in ætérnum, secúndum órđinem Melchisedech. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

**Matth. 24, 42-47.**

**I**n illo témpore: Dixit Jesus discipulis suis: Vigiláte, quia nescítis, qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Illud autem scitóte, quóniam, si sciret paterfamílias, qua hora fur ventúrus esset, vigiláret útique, et non síneret páfodi domum suam. Ideo et vos estóte paráti: quia qua nescítis hora Fílius hóminis ventúrus est. Quis, putas, est fidélis servus et prudens, quem constituit dóminus suus super famíliam suam, ut det illis cibum in témpore? Beátus ille servus, quem, cum vénerit dóminus ejus, invénerit sic faciéntem. Amen, dico vobis, quóniam super ómnia bona sua constituet eum.

**Offertorium Ps. 88, 25.** Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

**Secreta.**

**P**ropitiáre, quæsumus Dómine, supplicatióibus nostris: et interveniénte pro nobis beáto Brictio Confessóre tuo atque Pontífice, his sacraméntis cælestibus serviéntes, ab omni malo líberos esse concéde; ut purificánte nos grátia tua hisce, quibus famulámur, mystériis emundémur. Per Dóminum.

**Pro S. Pio Papa et Mart.:**

**Secreta.**

**O**blátis munéribus, quæsumus, Dómine, Ecclésiám tuam benígnus illúmina: ut, et gregis tui proficiat ubíque succéssus, et grati fiant

nómini tuo, te gubernánte, pastóres.  
Per Dóminum.

**Præfatio Apostolorum ratione  
Commemorationis S. Papæ.**

**Communio Matth. 24, 46-47.** Be-  
átus servus, quem, cum vénerit dó-  
minus, invénerit vigilántem: amen,  
dico vobis, super ómnia bona sua  
constituet eum.

**Postcommunio.**

**P**ræsta, quæsumus omnípotens  
Deus: ut de percéptis munéri-  
bus grátias exhibéntes, intercedénte  
beáto Bríctio Confessóre tuo atque  
Pontífice benefícia potióra sumámus.  
Per Dóminum.

**Pro S. Pio Papa et Mart.:**

**Postcommunio. C**

**R**efectióne sancta enutrítam gubér-  
na, quæsumus, Dómine, tuam  
placátus Ecclésiám: ut, poténti mode-  
ratióné dirécta, et increménta libertá-  
tis accípiat et in religiónis integritáte  
persístat. Per Dóminum.

Die 15 Julii.

S. Henrici **Imperatoris Conf.**

**Duplex majus.**

*Omnia ut in Missali Romano.*

## **FESTA AUGUSTI.**

Die 5 Augusti.

**Commemoratio S. Oswaldi  
Regis Mart.**

**Oratio. P**

**O**mnípotens sempitérne Deus:  
qui beátum Oswáldum Márty-  
rem tuum benígnæ largitátis honóre

palmáque martyrii decorásti: concé-  
de nobis per ejus virtútem præsentis  
vitæ necessitátem; ut, cujus memó-  
riam ágimus in terris, ejus apud te  
patrocínium sentiámus in cælis. Per  
Dóminum.

**Secreta.**

**M**unéribus nostris, quæsumus  
Dómine, precibúsque suscep-  
tis, et cæléstibus nos munda mysté-  
riis, et cleménte exáudi. Per Dómi-  
num.

**Postcommunio.**

**D**a, quæsumus Dómine Deus no-  
ster: ut, sicut tuórum comme-  
moratióne sanctórum, temporáli gra-  
tulámur officio; ita perpétuo lætémur  
aspéctu. Per Dóminum.

Die 7 Augusti.

S. Donati **Ep. et Mart.**

**Patroni minus principalis diœceseos.**

**Duplex majus.**

**Introitus. Dan. 3, 84 et 87.**

**S**acerdótes Dei benedícite Dómi-  
num: sancti et húmiles corde lau-  
dáte Deum. **Ps. ibid., 57.** Benedícite  
ómnia ópera Dómini Dómino: lau-  
dáte, et superexaltáte eum in sœcula.  
**V. Glória Patri.**

**Oratio.**

**D**eus, tuórum glória sacerdotum:  
præsta, quæsumus; ut sancti  
Mártyris tui et Epíscopi Donáti, cu-  
jus festa gérimus, sentiámus auxí-  
lium. Per Dóminum.

**Et fit Commemoratio S. Cajetani  
Conf.:**

## Oratio.

**D**eus, qui beáto Cajetano Confessorí tuo apostólicam vivéndi formam imitári tribuísti: da nobis, ejus intercessióne et exémplo, in te semper confídere et sola cæléstia desideráre. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Jacóbi Apóstoli.

Jac. 1, 2-12.

**C**aríssimi: Omne gáudium existimate, cum in tentatiónes várias incidéritis: Sciéntes, quod probatio fidei vestræ patiéntiam operátur. Patiéntia autem opus perféctum habet: ut sitis perfécti et íntegri in nullo deficientes. Si quis autem vestrum índiget sapiéntia, póstulet a Deo, qui dat ómnibus affluénter, et non impróperat: et dábitur ei. Póstulet autem in fide nihil háesitans: qui enim háesitat, símilis est flúctui maris, qui a vento movétur et circumfértur. Non ergo aestimet homo ille, quod accípiat áliquid a Dómino. Vir duplex ánimo incónstans est in ómnibus viis suis. Gloriétur autem frater húmilis in exaltatióne sua: dives autem in humilitáte sua, quóniam sicut flos fœni transíbit: exórtus est enim sol cum ardóre, et arefécit fœnum, et flos ejus décidit, et decor vultus ejus depériit: ita et dives in itinéribus suis marcéscet. Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

**Graduale. Ps. 36, 30-31.** Os justi meditábitur sapiéntiam et lingua ejus loquétur júdicium. **V.** Lex Dei ejus in corde ipsíus: et non supplantábuntur gressus ejus.

Allelúja, allelúja. **V.** Justus non conturbábitur, quia Dóminus firmat manum ejus. Allelúja.

**✠** Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum.

Marc. 13, 33-37.

**I**n illo témpore: Dixit Jesus discípu-  
lis suis: Vidéte, vigiláte et oráte: nescítis enim, quando tempus sit. Sicut homo, qui péregre proféctus reliquit domum suam, et dedit servis suis potestátem cújusque óperis, et janitóri præcépit, ut vígilet. Vigiláte ergo (nescítis enim, quando dóminus domus véniat: sero, an média nocte, an galli cantu, an mane) ne, cum vénerit repénte, invéniat vos dormiéntes. Quod autem vobis dico, ómnibus dico: Vigiláte.

**Offertorium. Ps. 88, 21-22.** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta.

**P**ræsta, quæsumus, Dómine: ut sancti Mártyris tui et Episcopi Donátii intercessióne, quem ad laudem nóminis tui dicátis munéribus honorámus, piæ nobis fructus devotiónis accrésca. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Cajetano Conf.:

Secreta.

**P**ræsta nobis, quæsumus, omnípotens Deus: ut nostræ humilitátis oblátio, et pro tuórum tibi grata sit honóre Sanctórum, et nos córpore, páriter et mente puríficet. Per Dóminum.

**Communio** Luc. 12, 42. Fidélis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam: ut det illis in tempore tritici mensuram.

**Postcommunio.**

**O**mnipotens et misericors Deus, qui nos sacramentorum tuorum et participes efficis et ministros: presta, quaesumus; ut intercedente beato Donato Martyre tuo atque Pontifice, ejusdem proficiamus et fidei consortio et digno servitio. Per Dominum.

**Pro S. Cajetano:**

**Postcommunio.**

**Q**uaesumus, omnipotens Deus: ut qui caelestia alimenta percipimus, intercedente beato Cajetano Confessore tuo, per haec contra omnia adversa muniamur. Per Dominum.

Die 11 Augusti.

Ss. Afræ et Sociarum, **Martyrum.**

**Duplex.**

**Introitus.** Ps. 118, 95-96.

**M**e exspectaverunt peccatores, ut perderent me: testimonia tua, Domine, intellexi: omnis consummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis. **Ps. ibid., 1.** Beati immaculati in via: qui ambulat in lege Domini. **V.** Gloria Patri.

**Oratio.**

**D**a nobis, quaesumus, Domine, Deus noster, sanctarum Martyrum tuarum Afræ et Sociarum ejus, palmas incessabili devotione venerari: ut, quas digna mente non pos-

sumus celebrare, humilibus saltem frequentemus obsequiis. Per Dominum.

**Et fit Commemoratio Ss. Tiburtii et Susannæ Virg., Martyrum:**

**Oratio.**

**P**

**S**anctorum Martyrum tuorum Tiburtii et Susannæ nos, Domine, foveant continuata praesidia: quia non desinis propitius intuere; quos talibus auxiliis concesseris adjuvare. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiae.

**Eccli. 51, 1-8 et 12.**

**C**onfitebor tibi, Domine, Rex, et collaudabo te Deum, Salvatorem meum. Confitebor nomini tuo: quoniam adjutor et protector factus es mihi, et liberasti corpus meum a perditione, a laqueo linguae iniquae et a labiis operantium mendacium, et in conspectu astantium factus es mihi adjutor. Et liberasti me secundum multitudinem misericordiae nominis tui a rugientibus, preparatis ad escam, de manibus quaerentium animam meam, et de portis tribulationum, quae circumdederunt me: a pressura flammæ, quae circumdedit me, et in medio ignis non sum aestuata: de altitudine ventris inferi, et a lingua coinquinata, et a verbo mendacii, a rege iniquo, et a lingua injusta: laudabit usque ad mortem anima mea Dominum: quoniam eruis sustinentes te, et liberas eos de manibus gentium, Domine, Deus noster.

**Graduale** Ps. 44, 8. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem. **V.** Prop-

térea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætitiæ.

Allelúja, allelúja. **V. Ibid., 5.** Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, prospere procéde et regna. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

**Matth. 13, 44-52.**

**I**n illo témpore: Dixit Jesus discipulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cælórum thesáuro abscóndito in agro: quem qui ínvenit homo, abscóndit, et præ gáudio illius vadit, et vendit univérsa, quæ habet, et emit agrum illum. Iterum símile est regnum cælórum hómīni negotiátōri, quærēnti bonas margarítas. Invénta autem una pretiósā margaríta, ábiit, et véndidit ómnia, quæ hábuit, et emit eam. Iterum símile est regnum cælórum sagénæ, missæ in mare et ex omni génere píscium congregánti. Quam, cum impléta esset, educéntes, et secus litus sedéntes, elegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit in consummatione sæculi: exibunt Angeli, et separábunt malos de médio justórum, et mittent eos in camínium ignis: ibi erit fletus et stridor déntium. Intellexístis hæc ómnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cælórum símilis est hómīni patrifamílias, qui profert de thesáuro suo nova et vétera.

**Offertorium Ps. 44, 3.** Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, et in sæculum sæculi. Allelúja.

**Secreta.**

**C**

**I**nténde, quæsumus, Dómine, múnera altáribus tuis pro sanctárum Mártyrum tuárum Afræ et Sociárum ejus festivitáte propósita: ut, sicut per hæc beáta mystéria illis glóriam contulísti; ita nobis indulgéntiam largiáris. Per Dóminum.

**Pro Ss. Tiburtio et Susanna:**

**Secreta.**

**P**

**A**désto, Dómine, précibus pópuli tui, adésto munéribus: ut, quæ sacris sunt obláta mystériis, tuórum tibi pláceant intercessióne Sanctórum. Per Dóminum.

**Communio Ps. 118, 161-162.** Príncipes persecúti sunt me gratis, et a verbis tuis formidávit cor meum: lætabor ego super elóquia tua, quasi qui ínvenit spólia multa.

**Postcommunio.**

**C**

**P**ræsta nobis, quæsumus, Dómine, intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Afra et Sociábus ejus: ut, quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

**Pro Ss. Tiburtio et Susanna:**

**Postcommunio.**

**P**

**S**úmpsimus, Dómine, pignus redemptionis ætérnæ: quod sit nobis, quæsumus, interveniéntibus sanctis Martýribus tuis, vitæ præsentis auxiliúm páriter et futúra. Per Dóminum.

**FESTA SEPTEMBRIS.**

Dominica I. Septembris  
(i. e. proxima Kalendis)

Sollemnitatis externa Ss. Angelorum  
Custodum.

*Dici potest una Missa de Ss. Angelis e Missali Rom. de die 2 Octobris Benedicite Dominum cum Gloria et Credo. Praef. Ss. Trinitatis, Or. 2 et ultimum Evangelium Dominicae.*

Die 17 Septembris.  
S. Hildegardis **Virg.**

**Duplex.**

**Introitus** Ps. 72, 28.

**M**ihi autem adhærere Deo bonum est, pónere in Dómino spem meam: ut annúntiem omnes prædicationes tuas in portis filiae Sion. **Ps. 40, 13.** Me autem propter innocentiam suscepisti: et confirmasti me in conspectu tuo in ætérnum. **V.** Glória Patri.

**Oratio.** **P**

**D**eus, qui beátam Hildegárdem Vírginem tuam donis cælestibus decorásti: tríbue, quæsumus; ut ejus vestigiis et documéntis insistentes, a præsentis sæculi calígine ad lucem tuam delectábilem transíre mereámur. Per Dóminum.

**Et fit Commemoratio Impressionis Ss. Stigmatum S. Francisci Conf.:**

**Oratio.** **P**

**D**ómine Jesu Christe, qui, frígescénte mundo, ad inflammánda corda nostra tui amóris igne, in carne beatíssimi Francísci passiónis tuæ sacra Stigmata renovásti: concéde

propítius; ut ejus méritis et précibus crucem júgiter ferámus, et dignos fructus pœniténtiæ faciámus: Qui vivis et regnas.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios **1. Cor. 1, 26-29.**

**V**idéte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapiéntes secúndum carnem, non multi poténtes, non multi nóbiles: sed quæ stulta sunt mundi elégit Deus, ut confúndat sapiéntes; et infírma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia: et ignobília mundi et contemptibília elégit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrúeret: ut non gloriétur omnis caro in conspectu ejus.

**Graduale Cantic. 3,4 et 6,2.** Invéni quem díligit ánima mea: tenui eum, nec dimíttam. **V.** Ego dilécto meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília.

Allelúja, allelúja. **V. Isai. 61, 10.** Exsultábit ánima mea in Deo meo, quia índuit me vestiméntis salutis, quasi sponsam ornátam monílibus suis. Allelúja.

*In Missis votivis post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:*

**Tractus Sap. 4, 1-3.** O quam pulchra est casta generátio cum clarítate: immortalis est enim memória illius, quóniam et apud Deum nota est, et apud hómines. **V.** Cum præsens est, imitántur illam, et desíderant eam, cum se edúxerit. **V.** Et in perpétuum coronáta triúmphant, incoinquinatórum certáminum præmia vincens.

*Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:*

Allelúja, allelúja. **V. Ps. 30, 22.** Benedictus Dóminus: quóniam mirificá-

vit misericórdiam suam mihi in civitate munita. Allelúja. *V. Prov. 4, 9.* Lætáre, mater nostra, quia dabit Dóminus cápiti tuo augménta gratiárum, et coróna ínclýta próteget te. Allelúja.

✠ *Sequéntia sancti Evangélii secúndum Mattháeum.*

*Matth. 25, 1-13.*

**I**n illo témpore: Dixit Jesus discipulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cælórum decem virgíni-bus: quæ, accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviám sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, et quinque prudéntes: sed quinque fátuæ, accéptis lámpadibus, non sumpserunt óleum secum: prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lámpadibus. Moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes et dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est: Ecce, sponsus venit, exíte óbviám ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixerunt: Date nobis de óleo vestro: quia lámpades nostræ extingúntur. Respondérunt prudéntes, dicéntes: Ne forte non suffíciat nobis et vobis, itepótius ad vendéntes, et émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus: et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad nuptias, et clausa est jánuá. Novíssime vero véniunt et réliquæ vírgines, dicéntes: Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait: Amen, dico vobis, nescio vos. Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.

*Offertorium Ps. 14, 2 et 3.* Quemádmódum desíderat cervus ad fontes

aquárum, ita desíderat ánima mea ad te, Deus. Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum.

*Secreta.*

*P*

**S**anctæ Hildegárdis Vírginis tuæ festa recoléntes, preces offérimus et hóstias immolámus: præsta, quæsumus, Dómine; ut, cum præsidio temporáli, vitæ nobis præbeant íncreménta perpétuæ. Per Dóminum nostrum.

*Pro Impressione Ss. Stigmatum S. Francisci:*

*Secreta.*

*P*

**M**únera tibi, Dómine, dicáta sanctífica: et, intercedénte beáto Francíscó, ab omni nos culpárum labe purifica. Per Dóminum.

*Communio Philipp. 1, 20 et 21.*

**M**agnificábitur Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem: mihi enim vívere Christus est, et mori lucrum.

*Postcommunio.*

*P*

**P**erpétuo, Dómine, favóre prosequere, quos réficis divíno mystério: et quos imbuísti cæléstibus institútis; eósdem, intercedénte beáta Hildegárde Vírgine tua, salutáribus comítare solátiis. Per Dóminum.

*Pro Impressione Ss. Stigmatum S. Francisci:*

*Postcommunio.*

*P*

**D**eus, qui mira Crucis mystéria in beáto, Francíscó Confessóre tuo multifórmiter demonstrásti: da nobis, quæsumus, devotiónis suæ

semper exémpła sectári; et assídua ejúsdem Crucis meditatióne muníri. Per Dóminum.

Die 25 Septembris.

S. Lamberti **Ep. et Mart.**

**Simplex.**

*Missæ Statuit e Communi unius Martyris 1º loco præter Or. sequentes:*

**Oratio.** P

**D**eus, qui hujus diéi venerándam sollemnitátem in beáti Lambéti Mártiris tui atque Pontíficis tránsitu decorásti: adésto familiæ tuæ préci-bus; et da ut, cujus hódie festa celebrámus, ejus méritis et intercessió-nibus adjuvémur. Per Dóminum no-strum.

**Secreta.** P

**P**ræséntia múnera, quæsumus, Dó-mine, ita seréna puritáte intuére, ut Sancti Spíritus perfundántur bene-dictiône, et in nostris córdibus eam dilectiõem valídus infúndant, per quam sanctus Martyr Lambértus óm-nia córporis torménta devícit. Per Dóminum . . . . in unitáte ejúsdem.

**Postcommunio.** P

**S**úmpsimus, Dómine, in sancti Lambéti Mártiris tui atque Pon-tíficis sollemnitáte cæléstia sacra-ménta: ejus suffrágiis, quæsumus, largiáris; ut, quod temporáliter géri-mus, ætérnis gáudiis consequámur. Per Dóminum.

## FESTA OCTOBRIS.

Die 10 Octobris.

**Commemoratio** Ss. Gereonis, Vic-toris, Cassii, Florentii et Sociorum **Martyrum.**

**Oratio.**

**D**eus, qui nos ánnua beatórum Mártirum tuórum Gereónis, Victóris, Cássii, atque Floréntii, Soc-iórumque eórum sollemnitáte lætí-ficas: præsta, quæsumus; ut quorum gaudémus méritis, accendámur exém-plis. Per Dóminum.

**Secreta.**

**M**únera Dómine, quæ pro Már-tyrum tuórum Gereónis, Vic-tóris, Cássii, atque Floréntii, Socio-rúmque eórum sollemnitáte deféri-mus, propítius súscipe: et mala óm-nia, quæ merémur, eórum interces-siône avérte. Per Dóminum.

**Postcommunio.**

**Q**uæsumus, omnipotens Deus, salutáribus repléti mystériis: ut, quorum sollémnia celebrámus, eórum oratióibus adjuvémur. Per Dóminum.

Die 16 Octobris.

S. Hedwigis **Viduæ.**

**Duplex majus.**

*Omnia ut in Missali Romano.*

Die 21 Octobris.

Ss. Ursulæ et Soc. *Virg. et Mart.*

*Duplex.*

*Introitus.*

*Eccli. 33.*

**I**n multitudīne sapiētiæ suæ separavit me Dōminus, et immutavit viam meam: Benedixit mihi, et me ad se applicavit. *Ps. 118, 1.* Beāti immaculāti in via, qui āmbulant in lege Dōmini. *℣.* Glōria Patri.

*Oratio.*

*C*

**D**a nobis, quæsumus, Dōmine Deus noster: sanctārum Virgīnum et Mārtyrum tuārum Ursulæ et Sociārum ejus, palmas incessābili devotiōne venerāri; ut, quas digna mente non pōssumus celebrāre, humilibus saltem frequentēmus obsēquiis. Per Dōminum.

*Et fit Commemoratio S. Hilarionis Abbatis:*

*Oratio.*

*C*

**I**ntercēssio nos, quæsumus, Dōmine, beāti Hilarionis Abbātis commēdet: ut, quod nostris mēritis non valēmus, ejus patrocīnio assequāmur. Per Dōminum.

*L*ectio Epistolæ beāti Pauli Apōstoli ad Corīnthios *1 Cor. 7, 25-34.*

**F**ratres: De virgīnibus præceptum Dōmini non habeo: consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus a Dōmino, ut sim fidēlis. Existimo ergo hoc bonum esse propter instāntem necessitātem quōniam bonum est hōmini sic esse. Alligatus es uxōri? noli quærere solutiōnem. Solutus es ab uxōre? noli quærere uxōrem. Si autem accēperis uxōrem,

non peccasti. Et si nūpserit virgo, non peccavit: tribulatiōnem tamen carnis habēbunt hujusmodi. Ego autem vobis parco. Hoc itaque dico, fratres: Tempus breve est: reliquum est, ut et qui habent uxōres, tamquam non habēntes sint: et qui flent, tamquam non flentes: et qui gaudent, tamquam non gaudentes: et qui emunt, tamquam non possidentes: et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi. Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxōre est, sollicitus est, quæ Dōmini sunt, quōmodo placeat Deo. Qui autem cum uxōre est, sollicitus est, quæ sunt mundi, quōmodo placeat uxōri, et divisus est. Et mulier innūpta, et virgo, cogitat quæ Dōmini sunt; ut sit sancta corpore et spīritu: in Christo Jesu Dōmino nostro.

*Graduale Ps. 149.* Exultābunt sancti in glōria, lætabuntur in cubilibus suis. *℣.* Cantāte Dōmino cānticum novum: laus ejus in Ecclēsia Sanctōrum.

Allelūja, allelūja. *℣.* Adducēntur Regi virgines post eam, proximæ ejus afferēntur tibi in lætītia. Allelūja.

**✠** Sequēntia sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Matth. 25, 1-13.*

**I**n illo tēpore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Sīmile erit regnum cælōrum decem virgīnibus: quæ accipiētes lāmpades suas, exierunt obviam sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ, et quinque prudētes. Sed quinque fatuæ, acceptis lāmpadibus, non sump-



mirábilis, quique hodiérna die beátum Willibrórdum Confessórem tuum atque Pontíficem ætérnæ beatitúdinis glória sublimásti: concéde propítius; ut, qui ejus mérita venerámur in terris, intercessiónis ejus auxílio apud tuam misericórdiam muniámur in cælis. (Per Dóminum.)

**Secreta.** P

**P**ropitiáre, quáesumus, Dómine, supplicatióibus nostris, et interveniénte pro nobis sancto Willibródo Confessóre tuo atque Pontífice, his sacrificiis cælestibus serviéntes, ab omni malo líberos esse concéde: ut purificánte nos grátia tua, hisce, quibus famulámur, mystériis emundémur. (Per Dóminum.)

**Postcommunio.** P

**S**ancti tui, Dómine, Confessóris atque Pontíficis Willibrórdi tríbue nos supplicatióne fovéri: ut, cujus depositionem ánnuo celebrámus obsequio; ejus apud te intercessiónibus et méritis commendémur. (Per Dóminum.)

Feria III.

post Dominicam diem 11. Novembris subsequentem.

Dedicatio Ecclesiæ Cathedralis Budissinensis.

**Duplex 1. classis  
cum Octava communi.**

*Missa Terribilis e Communi Dedicacionis Ecclesiae.*

Feria III. subsequenti.  
Octava Dedicacionis  
Ecclesiæ Cathedralis Budissinensis.

**Duplex majus.**

*Missa Terribilis e Communi Dedicacionis Ecclesiae.*

Die 19 Novembris.

S. Elisabeth **Viduæ.**

**Duplex 2 classis.**

*Omnia ut in Missali Romano.*

Die 25 Novembris.

S. Catharinæ **Virg. et Mart.**

**Duplex majus.**

*Omnia ut in Missali Romano.*

Die 26 Novembris.

**Commemoratio S. Conradi  
Ep. et Conf.**

**Oratio.** P

**D**eus, qui beátum Conrádum Confessórem tuum atque Pontíficem, sánguinis generositáte præclárum, vitæ sanctitáte et miraculórum vigóre clariórem fecísti: concéde, ut ejus virtútum méritis, de ejus beneficiis gloriémur; et a te, quod nostræ fragilitáti suffragátur, obtinére mereámur. (Per Dóminum.)

**Deinde fit Commemoratio S. Petri  
Alexandrini Ep. et Mart.:**

**Oratio.** C

**I**nfirmítatem nostram respice, omnipotens Deus: et, quia pondus propriæ actiόνis gravat, beáti Petri Mártyris tui atque Pontíficis intercessió gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

## Secreta.

P

**S**úscipe, Dómine, sacrificium placatiónis et laudis: quod nos fámulos tuos interveniéntē beáto Conrado Confessóre tuo atque Pontífice et perdúcat ad véniam et remédia nobis cónferat sempitérna. (Per Dóminum.)

Pro S. Petro:

## Secreta.

C

**H**óstias tibi, Dómine, beáti Petri Mártiris tui atque Pontíficis dicatas méritis, benígnus assúme: et ad perpétuum nobis tríbue proveníre subsidium. Per Dóminum.

## Postcommunio.

P

**G**rátiam tuam Dómine implorámus: ut, qui cælésti nos mēdela reparáre dignátus es, des peccáti nostris véniam; sicut beáto Conrado Confessóri tuo atque Pontífici dedísti vitam perpétuam. (Per Dóminum.)

Pro S. Petro:

## Postcommunio.

C

**R**efécti participatióne múnere sacri, quæsumus, Dómine, Deus noster: ut, cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Petro Mártire tuo atque Pontífice, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

sérunt óleum secum. Prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciente sponso dormitavérunt omnes, et dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixerunt: Date nobis de óleo vestro: quia lámpades nostræ exstinguúntur. Respondérunt prudéntes, dicéntes: Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus; et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est jánuā. Novíssime vero véniunt et réliquæ vírgines, dicéntes: Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait: Amen dico vobis, nescío vos. Vigilate itaque, quia nescítis diem neque horam.

**Offertorium Ps. 44, 15 et 16.** Afférentur Regi vírgines post eam: próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia, et exsultatióne: adducéntur in templum regi Dómino.

**Secreta.** C

**I**nténde, quæsumus, Dómine, múnera altáribus tuis pro sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum Ursulæ et Sociárum ejus festivitáte propósi: ut, sicut per hæc beáta mystéria illis glóriam contulísti, ita nobis indulgéntiam largiáris. Per Dóminum.

**Pro S. Hilárione Abbate:**

**Secreta.** C

**S**acris altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Hilárion

Abbas, quæsumus, in salutem nobis provenire depóscat. Per Dóminum.

**Communio. Matth. 25, 4 et 6.** Quinque prudéntes vírgines accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus: média autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit: exíte óbviam Christo Dómino.

**Postcommunio.** C

**P**ræsta nobis, quæsumus, Dómine, intercedéntibus sanctis Virgíni-bus et Martýribus tuis Ursula et Sociábus ejus: ut, quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

**Pro S. Hilárione Abbate:**

**Postcommunio.** C

**P**róteget nos, Dómine, cum tui perceptiÓne sacraménti beátus Hilárion Abbas, pro nobis intercedéndo: ut et conversatiÓnis ejus experiámur insígnia, et intercessiÓnis percipiámus suffrágia. Per Dóminum.

## FESTA NOVEMBRIS.

Die 5 Novembris.

Sacrarum Reliquiarum quæ in Ecclesiis dioceseos asservantur.

**Duplex majus.**

*Missa Multae tribulationes e Missali Romano inter Missas pro aliquibus locis III.  
Et fit Commemoratio Octavae Omnium Sanctorum e Missali.*

Die 7 Novembris.

**Commemoratio S. Willibrordi  
Ep. et Conf.**

**Oratio.** P

**O**mnípotens sempitérne Deus, qui es sanctórum tuórum splendor

# KALENDARIVM PERPETVVM DIOECESIOS MISNENSIS

a Sacra Rituvm Congregatione die 7 Juni 1951  
revisum et approbatum.

Omnia ut in Kalendario Ecclesie universalis,  
exceptis diebus infra descriptis.

## Januarius

20 Ss. Fabiani et Sebastiani Mm., duplex majus.

## Martius

15 S. Clementis Mariæ Hofbauer Conf., duplex.

## Aprilis

- 21 S. Conradi a Parzham Conf., duplex. Com. S. Anselmi Ep., Conf. et Eccl. Doct. (duplex).  
23 S. Georgii M., semiduplex. Com. S. Adalberti Ep. et M.  
27 S. Petri Canisii Conf. et Eccl. Doct., duplex 2. cl.

## Majus

- 4 S. Monicae Vid., duplex. Com. S. Gothardi Ep. et Conf.  
6 S. Joannis ante Portam Latinam, Patroni æque principalis dioceseos, duplex 1. cl. cum Octava communi.  
7 S. Stanislai Ep. et Mart., duplex. Com. Octavæ.  
8 Apparitio S. Michaelis Archang., duplex majus. Com. Octavæ.  
9 S. Gregorii Nazianzeni Ep., Conf. et Eccl. Doct., duplex. Com. Octavæ.  
10 S. Antonini Ep. et Conf., duplex. Com. Octavæ.  
11 S. Walburgæ Virg., duplex. Com. Octavæ.  
12 Ss. Nerei, Achillei et Domitillæ Virg. atque Pancratii Mm., semiduplex. Com. Octavæ.  
13 Octava S. Joannis ante Portam Latinam, duplex majus. Com. S. Roberti Bellarmino Ep., Conf. et Eccl. Doct. (duplex).  
16 S. Joannis Nepomuceni Mart., duplex majus. Com. S. Ubaldi Ep. et Conf. (semiduplex).

## Junius

- 5 S. Bonifatii Ep. et Mart., duplex 2. cl.  
16 S. Bennonis Ep. et Conf., Patroni principalis dioceseos, duplex 1. cl. cum Octava communi.  
17 De Octava, semiduplex.  
18 S. Ephræm Syri, Diac. Conf. et Eccl. Doct., duplex. Com. Octavæ et Ss. Marci et Marcelliani Mm.  
19 S. Julianæ de Falconeriis Virg., duplex. Com. Octavæ et Ss. Gervasii et Protasii Mm.  
20 De Octava, semiduplex. Com. S. Silverii Papæ et Mart.  
21 S. Aloisii Gonzagæ Conf., duplex. Com. Octavæ.  
22 S. Paulini Ep. et Conf., duplex. Com. Octavæ.  
23 Octava S. Bennonis, duplex majus. Com. Vigiliæ.  
29 S. Petri Ap., Titularis Eccl. Cathedralis Budissinensis, et S. Pauli Ap., duplex 1. cl. cum Octava communi.

## Julius

- 3 Omnium Ss. S. Romanæ Ecclesie Summorum Pontificum, duplex majus. Com. S. Leonis II. Papæ et Conf. et Octavæ.  
4 S. Udalrici Ep. et Conf., duplex. Com. Octavæ.  
9 S. Ottonis Ep. et Conf., simplex.  
11 S. Briccii Ep. et Conf., Patroni minus principalis dioceseos, duplex majus. Com. S. Pii I. Papæ et Conf.  
15 S. Henrici Imperatoris Conf., duplex majus.

## Augustus

- 5 Dedicatio S. Mariæ ad Nives, duplex majus. Com. S. Oswaldi Regis, Mart.

- 7 S. Donati Ep. et Mart., Patroni minus principalis diœceseos, duplex majus. Com. S. Caietani Conf. (duplex).  
11 Ss. Afrae et Sociarum Mm., duplex. Com. Ss. Tiburtii et Susannae Virg., Martyrum.

### September

- 17 S. Hildegardis Virg., duplex. Com. Impressionis sacrorum Stigmatum S. Francisci Conf. (duplex).  
25 S. Lamberti Ep. et Mart., simplex.

### October

- 10 S. Francisci Borgiae Conf., semiduplex. Com. Ss. Gereonis et Sociorum Mm.  
16 S. Hedwigis Vid., duplex majus.  
21 Ss. Ursulae et Sociarum Virg. et Mart., duplex. Com. S. Hilarionis Abbatis.

### November

- 5 Sacrarum Reliquiarum quae in ecclesiis diœceseos asservantur, duplex majus. Com. Octavae Omnium Sanctorum.  
7 De Octava Omnium Sanctorum, semiduplex. Com. S. Willibrordi Ep. et Conf.  
19 S. Elisabeth Vid., duplex 2. classis.  
25 S. Catharinae Virg. et Mart., duplex majus.  
26 S. Silvestri Abbatis, duplex. Com. S. Conradi Ep. et Conf. ac S. Petri Alexandrini Ep. et Mart.  
Fer. III post Dominicam diem 11 Novembris subsequentem: Dedicatio Ecclesiae Cathedralis Budissinen., duplex 1. classis cum Octava communi.  
Fer. III subsequenti: Octava Dedicacionis Ecclesiae Cathedralis Budissinen., duplex majus.

### December

- 13 S. Luciae Virg. et Mart. Com. Octavae et S. Ottiliae Virg.

## MISNEN.

**P**raesens Kalendarium, juxta Rubricas et Decreta novissima redactum, Sacra Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa XII tributarum, revisione rite peracta, recognovit ac probavit, illudque in diœcesi Misnensi adhiberi concessit: servatis de cetero Rubricis et Decretis, praesertim quoad festa Dedicacionis et Titularis Ecclesiarum nec non Patronorum cuiusque loci. Quod vero spectat ad Sanctos, vel Beatos, qui neque in Romano Martyrologio descripti sunt,

neque publico cultu a Sancta Sede certe decreto vel ab eadem confirmato potiuntur, viget Decretum Sacrae Congregationis diei 28 Aprilis 1914, iuxta quod Eos si in locis particularibus ex immemorabili consuetudine publico ac religioso cultu honorentur, in Kalendario servare liceat, signo aliquo seu asterisco notatis, qua ex inscriptione eorum cultus neque approbatus neque ipsi aequipollenter beati habeantur. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 7 Junii 1951.

(L. \* S.)

\* C. Card. Micara, Pro-Praef.

\* Alfonsus Carinci,  
Archiep. Seleuc., Secretarius.

### Approbatio.

Concordat cum Originalibus.

Budissae, die 10 Januarii 1953.

\* Henricus  
Eps. Misnensis.